



horologiorum sibi invicem consonantium instar juxta se posita. Imo ipsa quoque libertas in corporeis praecipue hominum motibus tota quanta esset ligata; ij enimvero juxta hoc systema non ex imperio libero animae, sed ex praecedentibus corporis motibus, quibus idem corpus resistere non posset, orirenrur, adeoque non libere, sed necessario fierent.

§. LXIIX.

Multo minus ex praefato systemate sufficiens ratio reddi potest, cur actiones aliae ex alijs in anima, & cur motus alij ex alijs in corpore, & quidem continua serie sibi invicem succedant? quotiescumque enim non contingit, quod nobis in campum egressis innumera sese objecta obferant, quin ulla inter ea connexio deprehendatur: videmus quippe caelum, & terram; Solem, & umbram; ignem, & aquam; aves, & canes; oves, & boves; prata & silvas, quae omnia certe nullo prorsus ordine sunt connexa, sed potius contraria.

§. LXIX.

Quum igitur explicando mutuo animae, & corporis commercio per quodlibet systema sive influxus physici (§. 61. & 62. &c.) seu adfistentiae (§. 64. & 65.) seu harmoniae praestabilitae (§. 66. & 67. &c.) ad amissim haut fiat satis; consequens est, commercium animam inter ac corpus reconditum adhuc esse naturae mysterium. Interim liceat nobis nostram hac de re adfigere opinionem.

§. LXX.

Mens humana in cerebro quasi in arce posita residet. Id, quod adferimus, sequuturis rationum momentis firmamus.

Imo. Anotomia docet, nervos quoscunque, in quibus veluti tubulis capillaribus humores, seu succi defaecatissimi, qui spiritus vitales, seu animales adpellantur, continentur,

ex